

FERIA SEXTA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XXI, VERS. 33

33. Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium cæderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

37. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum.

38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : Hic est hæres, venite occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus.

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.

40. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis ?

41. Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42. Dicit illis Jesus : Nunquam legis in Scripturis : lapidem quem reprobarunt ædificantes, hic factus est in caput anguli ? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur ; super quem vero ceciderit, conteret eum.

45. Et cum audissent Principes Sacerdotum, et Pharisei parabolas ejus, cognoverunt, quod de ipsis diceret.

46. Et querentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

VERSUS 33.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim ; et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

Homo erat paterfamilias.

1. — Hæc parabola, ut Lucas Brugensis notat, a Christo ad plebem enarrata fuit, ut ex ipso S. Lucæ, xx, 9, sacro textu clare colligitur, qui ait : « Copit autem dicere ad plebem parabolam istam ; sed in proceres presentes, et audientes stilum stringit, quorum immediabilem malitiam a majoribus tractam, apertius, quam in superiori parabola describit. » Porro coegerant Principes Sacerdotum concilium, in quo Caiphas inter alios sententiam suam hunc in modum, Joan., xi, 40, enuntiavit : *Expediit ut unus moriatur homo pro populo : quid facimus, quia hic homo multa signa facit ?* Per hanc igitur parabolam eis propositam, non solum indicare voluit, notum sibi atque manifestum esse,

quidquid adversus ipsum consiliorum machinatum fuisset, verum etiam simul eis penas et supplicia, quæ exinde eis obventura essent, prædicere opere pretium duxit ; id quod tanta cum circumspectione et prudentia fecit, ut eos contra semetipsos sententiam pronuntiare coegerit : *Malos male perdet, vineam suam locabit, etc.*

2. — Observandum vero est, quod quamdiu de plantanda, fovenda, munienda et elocanda vinea agitur, Deus homo et paterfamilias in hac parabola appellatur, quia dum nobis benefacit, merus erga nos amor, charitas et benignitas est ; e contra vero ubi de postulatione ad rationes reddendas agitur, Dominus vocatur : *Cum ergo venerit Dominus, tanquam iudex severus, strictam a nobis de nobis suis bonis collatis, rationem exposcet, ubi isdem fuerimus abusi.*

Plantavit vineam.

3. — S. Thomas per hanc vineam, synagogam vel Judæismum intelligit, de qua Isa., v, 7, dicitur : *Vinea Domini domus Israel est. Et Psal. lxxix, 9 :*

Vineam de Egypto transtulisti. Lucas Brugensis, postquam mysteria sepi, turris et torcularis declarasset, subjungit, hæc omnia eo solum spectare, ut specialissima, quam Deus erga populum illum semper exhibuit, protectio per illa denotetur, utpote quem toti terræ formidabilem reddidit, summa illum felicitate et prosperitate circumvalando ; id quod Deum ipsum constrinxit, ut per os Isaie, v, 4, diceret : *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei ?*

4. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hoc fer.*, per hanc vineam, sanctam Dei Ecclesiam intelligi posse existimat, dum ait : « Vineæ est Ecclesia catholica, quam Deus singulariter plantavit : *Plantasti radices ejus, et implevit terram.* »

5. — Origenes de doctrina Evangelica exponit, dicens : « Sed forte in Evangelio vinea est regnum Dei, id est, doctrina ; quæ Scripturis inserta est, sapientiæ ; vila autem irreprehensibilis hominum est vineæ fructus. »

6. — S. Antonius Paduanus insuper per hanc vineam nos ipsos, id est, animam uniuscujusque nostrum intelligi posse dicit : « Vineæ ista est homo, vel anima ; » atque ad id magis elucidandum analogias varias adducit ; vinea enim ut fructum optatum afferat, multa cultura opus habet, ita quoque homo, ut operum honorum fructus producat, vinea nisi strenue excolatur, præ cunctis aliis plantis facillime sylvescit, idipsum quoque homini accidit. Vites si fructum non ferant, ad nihil aliud quam ad ignem deserviunt. *Ezech., xv, 17 : Fili hominis, etc.* Vere homo Deo non fructificans, ad nihil aliud valet, nisi ut sit esca ignis. Item nota similitudines ratione fructus, quia quando vinea est bene culta, nullius arboris fructus potest ei adæquari, sic nec hominis bene culti fructibus. S. Anselmus vineam istam unicuique nostrum ad cultivandum in baptismo committi dicit : « Mystice vinea cuique locatur colenda, cum mysterio baptismi initiatur, » hujusque parabole allusionem ulterius prosequens, subjungit tandem : « Mittitur servus unus et alter, cum Lex, Psalmus et Prophetia legitur, quorum monita bene operetur ; sed missus cæditur, vel ejicitur, cum sermo conterritur : hæredem, quantum in se est, occidit ; qui Filium Dei concilaverit et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit ; perdit malo alii vinea datur, cum donum gratiæ, quod superius perdidit, humilis accipit. »

Et sepem circumdedit ei.

7. — Quod hanc sepem attinet, multas invenio, easque omnes varias sacrorum interpretum expositiones. Lucas Brugensis dicit : « Tutela providentiæ divini, id est, divini custodiæ munitione vallavit, » id quod tanta cum sollicitudine semper facit, ut Deus nihil aliud, ut ita dicam, curare

et salagere videatur, quam quod populum suum Israel protegat et defendat, illique semper assistat : *Non feci taliter omni nationi.*

8. — Auctor Imperfecti dicit : « Sepes est meritum et custodia patrum justorum, » Noe videlicet, Abrahæ, Isaaci, Jacobi, Davidis et plurimorum aliorum : « Qui tanquam murus factus est populo Israel : *Protegam urbem hanc propter David servum meum.* »

9. — Interlinearis sepem idem esse dicit, quod communionem scilicet terræ promissionis, quam opera bellicosorum virorum David et Machabeorum communiuit. » Deus namque populo huic de generosis semper, magnanimisque viris, qui illum defenderent, paterne providit.

10. — S. Thomas per sepem, orationes Sanctorum intelligit : « Quæ ponuntur ad custodiam, sive sint orationes Sanctorum, vel custodia Angelorum, dicuntur sepes. Unde *Osee, ii, 6 : Sepiam viam tuam spinis.* »

11. — S. Anselmus, *lib. IX in Matth.*, ait : « Angelorum custodiam deputavit illi. » Cui consonat S. Paschasi expositio, dicentis : « Angelos illis præfuisse ad custodiam, nemo est qui dubitet ; » adducitque Josephi Hebræi pervetusti Scriptoris testimonium, scribentis quod, dum urbs Hierosolyma in prociuitu esset, ut destrueretur, hæc voces per aera audite fuerint : « Transeamus ex his sedibus. »

12. — « Sepes arcebat bestiarum incursum, » inquit S. Antonius Paduanus, « et erat Angelorum custodia, quibus a gentibus protecti fuerunt, sicut patet in pugnis, quas Dominus pro eis fecit. »

13. — Sacri quoque Doctores per sepem, legis, sive præceptorum divinarum, seu doctrinæ Evangelicæ observantiam interpretantur. Unde S. Anselmus ait : « Impositi ei legalia tormenta, per quæ cogentur ad bene vivendum. » S. Leo numerum præceptorum omnium tum cæremonialium, tum legalium, tum judicialium ad sexcenta tredecim ascendisse affirmat. Lyranus quoque per sepem doctrinam Evangelicam, clausuram legis et mandatorum intelligit. Theophylactus similiter dicit : « Sepes, id est, lex. » Sepes communiter spinis et sentibus plene sunt, vineæ autem magnum subsidium afferunt ; siquidem illam ab incursum ferarum et latronum invasionibus defendunt ; ita quoque prima facie legis et præceptorum divinarum adimpletio difficilis et ardua videtur ; ex altera vero parte, dum vineam animæ nostræ ab omni communis inimici insultu protegit, eandem sanctorum honorumque operum fructus reddere facit. Sicut vinea sepe destituta facile sylvescit, ita quoque anima sine divina legis directione, omnibus vitis facile in prædam cedere, omnibusque inimici tentationibus facile succumbere : *Lex Domini immaculata convertens animas.* Deus in Deuteronomio,

x, 43, populum Israelis ad legis adimpletionem exhortans, hoc præcipue usus est motivo : *Ut bene sit tibi. S. Hieronymus ad Celantiam scribit, Deum in tantum nos præceptorum suorum compedibus esse voluisse adstrictos, in quantum per hoc non suam, sed nostram utilitatem promovere satagebat : « Ideo alicuius imperat, ut causas habeat remunerandi; neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio : *Mondata ejus desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum; dulciora super mel et favum; quoniam in custodiendis illis retributio nulla.* »*

Et fudit in ea torcular.

14. — Quia per vineam hanc Judaismus intelligitur, ideo S. Thomas dicit : « Intelligitur per torcular altare holocaustorum; » cujus rationem reddit Dionysius Carthusianus dicens : « Quia in eo effundebatur sanguis victimarum, sicut in torculari exprimitur liquor varum. »

15. — S. Hilarius, *com. xxxi in Matth.*, per torcular Prophetas intelligit, qui in mystica hac vinea instar torcularis cujusdam fuerunt : « In quos musti modo quedam ubertas Spiritus Sancti ferventis instruere. » Lyranus pariter super hæc verba dicit : « Dando doctrinam Prophetarum; in qua exprimitur et declaratur magis virtus legis. »

16. — S. Thomas quoque de Martyribus exponit, « qui pro fide sanguinem suum fuderunt, » id quod S. Anselmus confirmat, subjungens quod tres Psalmi *pro torcularibus* inscripti inveniuntur : id quod apertius declarat dicens : « Id est, posuit in ea, » scilicet vinea hac mystica, tales viros, « qui parati essent torqueri pro nomine Christi, ut per eos efflueret quedam ubertas Spiritus Sancti. » Lyranus pariter dicit : « Martyrum est patientia, quæ roborata est Ecclesia. »

17. — Auctor Imperfecti, *Hom. xl*, per hoc torcular Ecclesiam intelligendam esse dicit : « Ecclesia torcular est intelligenda in qua omnes fructus vineæ, id est, opera servorum Dei, et fides roborata ad Dei gloriam transmittitur. » Ab hoc torculari celeste Spiritus Sancti mustum exprimitur, et sicut omnes vitum per vineam sparsim consistentium fructus capit velut suum torculari submitunt, ita quoque omnia fidelium opera bona, in communione uniantur Ecclesie; *Sanctorum communionem.* S. Paschasius sanctos Apostolos, aliosque Christi discipulos, qui ad hanc synagogam vineam pertinebant, tandem ad Ecclesiam Christi transisse considerans, scribit : « Quæ torcularia cum in Ecclesiam sint translata, repleverunt musto Spiritus Sancti corda credentium, cujus fervore cum essent potati, ebrii dicebantur et musto pleni. »

18. — Paulus de Palatio ad illum Isaia, *lxiii*, 3, textum alludens, in quo Deus protestatur, dicens : *Torcular calcavi solus, et calcavi eos in furore meo,*

per hoc torculari justitiam Dei intelligit, per quam Deus impios in hac vita castigat, ut illos emendet. « Torcular hujus vineæ justitia est, vindictam de malis accipiens; grandis est misericordia, quod in Ecclesia torculari justitiæ Deus statuerit, videlicet ut si torquemur, non premamur, ut damnemur, sed ut vinum Deo optatum proferamus. » Grande beneficium est torcular in Ecclesia, quod a peccatoribus meliorem exprimit vitam; nemo igitur sit, qui premi a torculari refugiat. »

19. — Simon de Cassia per hoc torcular crucem intelligit, in qua Redemptoris sanguis expressus fuit, qui pro redemptione et sanctificatione omnium animarum effusus fuit; siquidem pretium hujus sunt sacrificia et sacramenta; ab hoc sanguine valorem suum accipiunt omnia merita et opera bona Christianorum.

Et edificavit turrim.

20. — Salmeron finem nobis declarat, ob quem turris ista fabricata fuit, dum ait : « Partim ad speculandum, ne quis ingressus fructus deprædaretur, partim ad fructus collectos asservandos; » quantum vero ad sensus mysticos.

21. — Lucas Brugensis per hæc turrim, Jerusalem intelligi posse censet : « Quæ præ cæteris civitatibus eminens, velut caput in corpore fuit terra Israelitica, quod turris in vinea. »

22. — S. Thomas per turrim templum interpretatur : « Templum intelligitur. *Mich.* iv, 8 : *Et turris nebulosa gregis usque ad te venit potestas prima vel agnitio Dei.* » Lyranus templum in forma turris fabricatum fuisse notat, neque similitudo hæc impropria est; siquidem Ecclesia propter immunitatem suam, fidelibus instar arcis sui fortissimi cujusdam deservit, in qua sum habent refugium, omnemque eorum, qui ipsi insidiantur, vim et violentiam evadunt. Est velut armamentarium quoddam, in quo anima omnibus armorum generibus communitur, ut adversus infernales inimicos decertare, iisque resistere possit : *Omnis armatura fortium, mille clipei pendunt ex ea, nimirum verbum Dei, oratio, sacrificia, confessiones, communionem, etc.*

23. — Salmeron de potestate sacerdotali exponit : « Spiritualem sacerdotum potestatem significat, sive templum in monte Sion constructum, quod instar turris turbatur; in hac turri speculatores vineæ evigilabant pro aliis tanquam rationem reddituri. »

24. — S. Antonius de Padua legem intelligit : « Sublimitas legis secundum quam si vigilare volent, poterant hostium infestationem prospicere. » Ejusdem sententiæ est S. Hilarius. Auctor Imperfecti duo bona nos a turribus habere dicit, nimirum quod inimicis nostris exinde valeamus resistere et facilius profligare : « Sic et qui in fide

« Christi consistunt, vel in lego Dei, et demones super se irruere non sinunt et spiritualibus honorum operum sagittis eos facile vulnerant, et demones super illos irruere nequeunt, et a spiritualibus maiorum operum sagittis non facile vulnerant. »

Et locavit eam agricolis.

25. — Lucas Brugensis, in *Matth.*, quoniam sint illi vinitores, quibus hæc vinea elocata fuit, his verbis declarat : « Hi fuerunt Reges, Sacerdotes, Doctores, Judices, cæterique Primates et Magistratus populi Israel; his commisit Deus vineam suam colendam, id est, regendum populum suum defendendo, docendo, monendo, malos castigando, bonos honorando, exemplis præuendo. » S. Thomas per hos agricolos Moysen et Aaron intelligit, quibus Deus regimen et dominium populi sui commisit. Theophylactus ait : « Agricolæ sunt Doctores populi. » Lyranus de Sacerdotibus exponit, « qui habent officium servandi cultum divinum. » De his quoque Auctor Imperfecti ait : « Colentes populum quasi vineam, cum acutissimo ferro sermonis, faciunt eos bonos fructus justitiæ Domino exhibere; sicut autem duram terram ferum emolliit, sic et verbum duritiam cordis relaxat. »

26. — Hugo Cardinalis observat eos quibus hæc vinea colenda elocatur, seu quibus animarum regimen et dominium populorum committitur, multum lacrarum, multumque perdere posse : « Ad gloriam si diligenter, ad periculum si negligenter. » Quodsi enim is, qui lucra temporalia maximi momenti in se suscipit, ingenti semper timore percellitur : « Quanto magis, qui de manu Dei susceperunt animas sanctas? non enim Sacerdotes præstant Deo, docentes populum ejus, sed Deus Sacerdotibus committendo eis populum. » Paulus de Palatio nescire se dicit, quomodo hæc vinea elocari possit, id est, quo ausu ad curam et regimen animarum deputari valeant, qui artem illas gubernandi nesciunt : « Cum vineam nemo locet ignaro colono, quæ causa, quod vinea sacra ignotissimis locetur hominibus? cum sit ars artium regimen animarum, potius de vito foetantes eligendus esset, qui vineam spiritualem coleret, si artem nosset colendi, quam vir illustrissimus si esset artis ignarus. »

27. — Valde considerabilis est hujus Patrifamilias industria et circumspectio, ac sollicitudo, quam circa hanc vineam gerit, adeo ut vere dicere possit : *Quid debui facere vineæ meæ et non feci?* qui tamen ex alia parte in hac cultura solus esse nolit, iuxta tritam illam S. Augustini sententiam dicens : « Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te; » S. Ambrosius ait : « Si Deus in te laboravit, qui laborare non novit, cur ipse fugitans sis

« laboris? *Locavit eam agricolis;* » nobis illam excolendam commisit, per opera exemplaria, per actus amoris erga Deum, perfectam non solum præceptorum, verum etiam consiliorum evangelicorum adimpletionem.

Locavit eam agricolis.

28. — Id est, rusticis, quia discretus hic Patrifamilias statum et vocationem uniuscujusque optime discernere novit et secundum hanc discretionem opera nostra a nobis exposuit : *Unicuique secundum propriam virtutem;* quod ab agricolis et terræ fossoribus requirit, non exigit a nobilibus et equestribus ordinis viris. Quod religiosus convenit, non poscit a secularibus; non pretendit a Principe et Prælato, quod ad inferiores et subditos pertinere dignoscitur.

Et peregre profectus est.

29. — Theophylactus per hanc vineam, synagogam Hebræam intelligens, dicit : « Profectus est autem Deus, quando non amplius in columnam nubis loquebatur eis. » Albertus Magnus hanc protectionem, portentorum et miraculorum, quæ quondam in oculis populi sui patrare consuevit, subtractioni attribuit : « Quia subtraxit opera potentie, quæ in præsentia eorum operabatur in Ægypto per plagas et in deserta per apparitiones et miracula. »

30. — Lucas Brugensis verba hæc de eodem populo intelligens dicit : « Gessit se tanquam absentem, qui nusquam abest, coelum cum impleat et terram, permisso regimine populi sui, arbitratus tui, fideique illorum. » Hugo Cardinalis autem intelligere hæc verba videtur in eo sensu, quod illos in duritia et observatione sua derelinquerit : « Judæos propter eorum superbiam suo arbitrio relinquit. »

31. — S. Thomas verba illa de longanimitate et patientia Dei exponit, quam exercet expectando nos ad penitentiam : « Dicitur peregre profectus, quando non ad quamcumque culpam, penam intelligit. » Theophylactus ait : « Peregrinatio ejus de longanimitate ejus, videtur enim peregre profectus, cum longanimitas est et non vestigio peccatorum penas exigit. » Eiusdem sententiæ Chrysostomus fuit, dum in specie de populo illo dixit : « Non enim semper simul atque peccatur, penas inflixit. » Salmeron textum illum Isaia, *v*, 4 : *Expectavi ut faceret unam et fecit lobrucas,* adducens, pro nostra instructione subjungit : « Hæc patientia Domini et longanimitas in omnia nos scelera præcipit, nostro tamen vito. »

32. — S. Thomas, in *Matth.*, dicit : « Profectus est, non mutando locum sed hominem in suo arbitrio relinquendo; » quia postquam Deus nobis hanc animam, quæ vinea quedam mystica est, infudit, arbitrii nobis libertatem donavit. S.

Anselmus quoque ait : Profectus est « relinquens » arbitrium bene operandi. » Unde David dicebat : *Voluntarie sacrificabo tibi.*

33. — S. Ambrosius Christum dicere voluisse existimat quod per favorum suorum assistentiam plus minusve nobiscum sit, in quantum nos in hac vinea excolenda plus minusve pigri vel solliciti sumus : « Peregre profectus est Dominus, non quia de loco ad locum profectus est, qui utique semper præsens est, sed quia est præsens diligenter tibus, negligentibus abest. »

34. — Paulus de Palatio in expositione textus hujus notat, quod aliqui eorum, quibus Deus hanc vineam elocavit, adeo efferuntur et superbiunt, ut Paterfamilias ab eis cogatur abscedere : « Superbiam eorum non forens. Vides clericum aut monachum doctrina et moribus insignem; at ubi Dominus vineam ei elocavit, adeo contra Dominum se erigit, adeo fastu, et superbia, et luxu corrumpitur, ut cogat a se Dominum longe proficisci, honores enim mutant mores. »

VERSUS 34.

Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

Cum autem tempus fructuum appropinquasset.

1. — Albertus Magnus super hæc verba, ingeniosam quamdam observationem adducit. Advertit enim, quod non dixisset : « Cum autem fructus appropinquasset, sed tempus fructuum, quia per negligentiam eorum, quibus tradidit eam, fructus nullo habuit. Isaia, v, 2 : *Expectavi ut faceret uvas et fecit lubriscos.* » Jansenius clarius explicat, qualenam tempus illud fuerit, in quo hæc vinea ei, qui illam plantavit, specialiter fructum ferre debebat : « Tempus fructuum erat, cum jam habitarent in terra promissionis quiete, scilicet tempore Davidis, Salomonis et sequentibus; » tunc enim justum erit fructus producenti tempus, id est, in quo præcepta legalia exacte observare debebant. Idem quoque Lucas Brugenis his verbis scribit, dum ait : « Hujusmodi fructus seu vina sunt cultus atque obedientia Dei, virtutes et proba secundum mandata opera. »

2. — Salmeron observat, quod Dominus nosler in plurali numero dicit : « Fructuum, non unius, sed plurium. » Porro præterquam, quod vinea non nisi unius generis fructuum, scilicet vinum nata sit producere, hoc quoque considerandum est, quod fructus nonnisi in hortis ut plurimum nasci soleant; et tamen si per vineam hanc animam intelligamus, « plura Deus plantavit in nobis et omnium cupit habere fructum; nempe fidei, spei, charitatis, justitiæ, humilitatis, obedientiæ et

patientiæ; » neque sufficit, quod omnes vites fructifere existant, si vel una sola sterilis sit, siquidem irrefragabile est axioma illud, quo dicitur : « Quod bonum sit ex integra causa, malum ex quocumque defectu. » Pro nostra tamen consolatione advertendum est, quod quantitati fructuum non taxaverit, quia paterfamilias habemus adeo mitem et benignum, ut quantumvis modico, quod præstare possumus, libens acquiescat, dummodo vere sit aliquis fructus, id est, dummodo opus factum sit in statu gratiæ. Ratio autem, cur quantitatem taxare noluerit, est, quia vires in quolibet nostrum non sunt æquales : *Unicuique secundum propriam virtutem, præterquam quod bonorum nostrorum non eget, sed lotus fructus, quem hæc vinea profert, in solam utilitatem nostram cadit, quod solum motivum sufficit, ut nos ad laborandum exolet.*

3. — Quodsi quæras, quodnam sit hujus fructus profertendi tempus? optime tibi respondet S. Apostolus, II Cor., vi, 2 : *Eccce nunc tempus acceptabile; Gal., vi, 20 : Dum tempus habenas, operemur bonum;* id est, quamdiu vita hæc præsens duraverit. Notat nihilominus Paulus de Palatio, quodsi vitis non quovis tempore fructum ferat, id nequaquam ei pro defectu imputandum sit, siquidem recentem plantatam vites fructum ferre nequeunt; et ideo infantes quoque a fructu ferendo excusantur, quoadusque infantia et pueritia ipsorum duraverit : « Imo et cum primo quis ad Deum convertitur ex antiqua peccatorum fœce, vix maturos Deo fructus offert; » at quod qui propter ætatem debebant esse magistri, propter ignaviam lacte adhuc egeant, id grave crimen colorum est. »

4. — Ut autem vineam hanc non nostram esse sciamus, sed ejus, qui illam plantavit, nobisque eam elocavit, ideo primo loco de hac vinea dicit : *Locavit eam, et postea, quod ab ea exacturus sit fructus. Porro quidquid sumus, aut lioni præstare valeamus, id totum non in sola potestate nostra independentem a Deo consistit, sed totum illud in acceptis referre debemus. Totus error eorum, qui vineam sibi elocantam acceptant, in eo consistit, quod se illius dominium habere crediderunt : *Habebimus hereditatem, avertatque Deus, ne et nos eidem fiamus errori obnoxii, quin potius omne id, quod possidemus et quod scimus, id totum nobis in depositum, in elocationem et in creditum datum esse, nobisque de illis omnibus rigorosissimam rationem reddendam esse intelligamus.* Unde Salvianus, *lib. I ad Ecc.*, ait : « Nos usum tantum eorum rerum accipimus, quas tenemus, commo- datis a Deo facultatibus utimur; igitur si omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quod ea, que dono Dei accepimus, ad Dei cultum referre debeamus. »*

Misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

5. — Dionysius Carthusianus observat, quod, postquam tempus advenisset, ut hæc synagoga vinea post acceptam a Deo Mosaicam legem, fructum præcepti ei traditis proportionatum produceret : « Misit sanctos Prophetas ad agricolas, id est, a Sacerdotes, Scribas et Principes synagogæ, ut acciperent fructus ejus, id est, populum synagogæ ad Deum reducerent et opera virtuosa in eis invenirent. » Lucas Brugenis paulo aliter exponit, dicens : « Qui viserent Dei nomine, an primates populum sic regerent ut viverent digne Deo et si non, admonerent eos officii. » Rabanus dicit, primos ab hoc Paterfamilias missos servos Moysen fuisse et Aaronem, quorum primus legislator, secundus vero summus Sacerdos erat : « Quos casus lagello lingue, vacuos remisissent. »

6. — Porro fructus, quos servi missi accipere debebant, juxta Lucæ Brugenis expositionem, erant « cultus, honor, obedienda erga Deum, tributum spirituale. »

VERSUS 35.

Et agricola apprehensis servis ejus, alium cæderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

1. — Salmeron scopum hujus parabolæ fuisse dicit, ut divinam beneficentiam Hebraismi ingrati- tudini et malitiæ opponeret et unam ex alterius comparatione magis elucescere faceret : « Cujus scopus est, indicare beneficiorum Dei multitudinem, deinde malignitatem Sacerdotum, agricolarumque volentium sibi vineam usurpare et gravissimam eorum punitionem, ob ingratos animos et abusum tantorum beneficiorum. »

2. — Porro multi Reges et Sacerdotes, ut Lyranus ait, Prophetas a Deo ad ipsos missos in vincula conjectos, occiderunt, unde Isaia's jussu Manassis per medium dissectus fuit. Amos propheta, Ozæ regis præcepto, perforata fuerunt tempora, Zacharias inter templum et altare a Joas lapidari jussus est. S. Thomas insuper Micheam adjungit et Naboth, illamque Apostoli, ad Hebr., xi, 37, textum adducit, quo dicitur : *Lapidati sunt, secti sunt, in occasione gladii mortui sunt.* Unde colligitur, ut S. Hieronymus ait, quantum ab hoc Paterfamilias missi servi, lanienam et carnificinam subirent, ut proinde S. Paschasius jure dixerit : « Non letitiæ vino, non spiritali musto torcularia eorum redundarunt, sed cruentum Prophetarum sanguinem fuderunt. » Etenim quot Moyses et Aaron a populo sustinuerunt injurias? quot convicia Elias et Elisæus? Jeremias pariter quam crudeliter habitus fuit!

3. — Enimvero quæri hoc loco potest, cur nullus repertus fuerit, qui illatis hisce servis injuriis et violentiis sese serio opponeret ad eos defendendos, sive ad talem adeo abominabilem illis illatam injuriam et impietatem vindicandam. Porro Ruben fratribus suis quidem se opposuit, dum fratri ipsorum Josepho necem intentare vellent, non vero quando de illo Medianitis negotiatoribus vendendo consilium haberent in eo consilio ipse quoque interesse suum habebat repositum; siquidem et ipse de comparata ex venditione pecunia participabat, non vero si innocens sanguis ejus præter fas et æquitate fuisset effusus. Ita quoque in præsentem casu nostro asserere possumus, viatores omnes, quoad servos illos credendos et occidendos concordæ erant et unanimes; quia perpetuum vineæ illius dominium sperabant, ita ut illam deinceps non velut sibi elocantam, sed ut propriam possiderent. *Habebimus hereditatem ejus, quia ubi consiliorum agitationem interesse aliquod consilium ingreditur, nullus legi sive divinæ, sive humanæ, sive naturalis, sive positivæ defertur respectus : « Auri sacra fames quid non mortalia cogis peccata! »*

4. — Paulus de Palatio verba hæc in sensum moralem convertit et dicit : Nos quidem Christiani excusare nos forsitan possemus dicendo, quod prædicatoribus nostris Evangelicis minime injuri simus, quin potius eisdem omnia nobis possibilis obsequia exhibemus : « Ego vero, » inquit, « ad inferiora oculos converti, si eorum monita opere complem, non lapidamus, at si eorum dicta contemnimus, hominem quidem venerat, prædicatorem lapidamus; videramur ejus eruditio- nem, amplectimur gratiam, sed lapidamus prædicationem. » Similem fere observationem Jansenius eadem verba exponens adducit, dum ait : « Missus servus cæditur et ejicitur, cum ejus sermo contemnitur et veritatis doctrina non recipitur, aut quod pejus est, irridetur. »

VERSUS 36.

Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similitur.

Iterum misit alios servos plures prioribus.

1. — Tempore Davidis, ut S. Thomas scribit, in *Matth.*, turbas misit prophetarum : « Tempore David misit multos cuneos Prophetarum, vult enim Dominus, pugnare misericordiam suam contra malitiam eorum. » S. Anselmus, *de penit.*, vii, hanc pugnam factam fuisse dicit ab impiis, per abusum et præjudicium divinæ pietatis : « Per singulos tamen gradus divinæ misericordie eis exhibite, crescebat cumulus Judaicæ malitiæ et contra Dei clementiam certabat humana maligni-

« tas. » Et tamen optime Tertullianus monet : « Absit ut redundantia clementiæ celestis libidi-
nem faciat humane meritis, nemo idcirco
« deterior sit, quia Deus benignior est. »

2. — Salmeron ait : « Primi servi tempore Judi-
cum, secundi tempore Regum et Samuelis, tertii
« circa tempore transmigrationis Babylonis. »

3. — S. Hieronymus finem, cur Paterfamilias
servos suos repetitis vicibus miserit, hunc fuisse
dicit, ut agricolæ respicerent a malitia sua :
« Patientiam ostendit Paterfamilias, quod frequen-
« tius miserit, ut malos colonos ad penitentiam
« provocaret, illi autem thesaurizaverunt sibi iram
« in die iræ; » adeoque id culpa eorum factam est
in majus damnum ipsorum; nam ut S. Gregorius,
Hom. xii in Evangel., ait : « Quos diu, ut conver-
« tantur, sustinet, non conversos durius damnat; »
id quod ipsis revera accidit, qui deinceps fuerant, et
in finem usque sæculorum, ludibrium et derisio
erunt omnium populorum.

4. — Salmeron per hanc servorum multiplicita-
tem in sensu morali interpretatur auxilia gratiæ,
quæ ad salutem nostram Deus nobis subministrat.
« Quando Angelorum, qui numero et charitate
« plures, ministerio nos excitat, ut fructum redda-
« mus, sed ubi reliqua omnia nil prodesse videt,
« mittit Filium, quæ maxima est et efficacior ins-
« piratio et postrema exhortatio, qua Christi
« merita ponuntur ante oculos et qua ratione cru-
« cem pro nobis sustinuit et vineam suam sanguine
« suo redemit; » nihilominus experientia teste,
hasce Dei invitationes et inspirationes frequenter
rejecimus, parumque de Christo curamus, dum
voluntatibus et commodis nostris carere nequaquam
voluimus. « Honoris et questus gratia, verum Chris-
« tum reliquimus et reprobamus et turpius a
« nobis cognitus et gloriosus eiecitur, quam non
« admissus hospes fuisset. » Porro Hebræi si cogno-
« vissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; at
vero de nobis, qui fidem ejus profitemur, dici po-
test : *Iterum Christum in semetipsis crucifigentes.* Ad
Hebræos autem terribilis sententia contra illos scri-
bitur; ait enim Apostolus, *Heb.*, x, 26 : *Voluntarie*
enim peccantibus nobis, post acceptam nobilitatem veritatis,
jam non relinquuntur pro peccatis hostia.

VERSUS 37.

*Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens :
Verebuntur filium meum.*

Novissime autem misit ad eos filium suum.

1. — Chrysostomus, *Hom. lxxix in Matth.*, hoc
loco quærit : « Sed cur filium non continuo misit? »
Et respondet : « Ut a multis jam malefactis possent
« seipsos cognoscere. » Salmeron nos ad modum
considerandum invitât, quem Deus in vindicando
servat : « Perpende modum, quem observat Deus

« in pleetendis injuriis. » Dum enim hi temerari
agricolæ primos servos dire adeo traclastent, eos
non subito punivit, sed alios confestim servos plures
prioribus ad illos amandavit; quos cum iterato mul-
tis injuriis affecissent, non illos e vestigio vincta
elocata privavit, sed proprium ad eosdem misit
filium suum : « Cumulavit novo missi ad eos filii
« beneficio. » Auctor Imperfecti ait : « Dei miseri-
« cordia quanto magis a Deo offendeatur, tanto
« amplius addebat in eis. Post tot scelera adhuc
« et misericordia locum servabat. » Sed quid tandem?
Auctor paulo post subdit : « Quanto majora
« beneficia hominibus sunt constituta, tanto majora
« peccantibus judicia sunt preparata. »

2. — S. Anselmus ait : « Filium suum, dico, non
« quasi ad noxios et promeritos, pœnæ sententiam
« bajulantem, sed patienti venia post tot sæcula
« adhuc eis locum misericordiæ reservantem. »

Verebuntur filium meum.

3. — In S. Luca, qui eandem hanc parabolam
describit, insuper additur verbum *forsitan*. Unde
S. Thomas ait : « Sed quid est, quod dicit, forte?
« nunquid ignorabat ipse? Hieronymus dicit, quod
« iste modus loquendi dubius significat libertatem
« arbitrii, ut ostenderet quid facturi essent, quia
« qui non honorificat Filium, non honorificat Pa-
« trem. » Chrysostomus hanc ambiguitatem aliter
explicat : « Dicit fortassis verecundabuntur, quod
« debuissent fieri, enarrans, verecundari enim pro-
« cul dubio debuissent. » Salmeron Christum id
quod eventurum erat probe scivisse dicit : « Sed
« sic loquitur, quemadmodum de ægrolo dicere
« solet medicus, date illi hoc vel illud pharmacum,
« quia forte sanabitur; non absolute audent promit-
« tere sanitatem, ob magnitudinem morbi; et usi-
« tatum est, in parabolis præsertim, transferri
« humanos affectus in Deum, proinde dixit, *for-
« sitan.* »

4. — S. Anselmus Auctoris Imperfecti expositi-
onem sequens, hanc habet considerationem : « Nota, »
inquit, « quia misit confundere illos, non punire; »
quia bono Domino et benigno pro tantis injuriis
« sufficiebat sola vindicta pudoris. » Etenim tametsi
quis innumeris sit peccatis onustus, Deumque mille
modis offenderit, atrocibusque injuriis affecerit, Deo
tamen injuriato sufficit, si penitentem et pro peccatis
commissis confundatur et erubescat. Unde S. Am-
brosius, *lib. II de Cain et Abel*, ait : « Quanta pudor-
is gratia, ut justitiam teneat verecundia, quam
« culpæ reatus abstulerit! *Rom.*, vi, 21 : *Quem frue-
« tum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubes-
« citis?* » In quibus Apostoli verbis, verbum *tunc*,
peccati statum exprimit, *nunc* vero statum gratiæ et
amicitiæ Dei; observandum vero est, quod, quando
de gratia agitur, id est, de statu emendationis et
resipiscentiæ, solam erubescentiæ mentionem fa-

ciat; nam ut S. Anselmus ait : « Sana mens erubes-
centiam præbet ad malam, verecundiamque tes-
tem suæ penitentiæ profert. »

5. — Auctor Imperfecti, *Hom. xi*, motiva adducit,
ob quæ filium Patrifamilias amare et timere
debeant : « Mittam filium meum, si amare eum
« volerint, est quod amatur in eo, quia post me
« solus est bonus; si volerint eum timere, est quod
« timeatur in eo, quia post me solus terribilis est
« Deus. » Lyranus ipsum dicere voluisse asserit :
« Verebuntur, id est, in reverentia deberent ha-
« bere. »

VERSUS 30.

*Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se :
Hic est hæres, venite occidamus eum, et habebimus
hereditatem ejus.*

Agricolæ autem videntes filium.

1. — Sacri Expositores concorditer dicere et
sentire videntur, ipsos cognovisse Christum vere
promissum esse Messiam. Lyranus super hæc verba :
Videntes filium, dicit, « id est, Dominum Jesum
« Christum, opera divinitatis facientem; et omnia
« quæ prædicta erant de ipso, adimplentem. » Lucas
Brugensis hanc notitiam non solum ex ipsiusmet
Christi mentiri nescientis protestatione, quam fecit
in Evangelio S. Joannis, xv, 12, his verbis : *Si non
venissem, et locutus non fuissem eis, peccatum non
haberent, nunc autem excusationem non habent de
peccato suo;* verum etiam ex S. Joannis Baptistæ
testimonio, ex efficaci doctrinæ et prædicationis
« ejus, ex miraculorum sublimitate, ex fide populo-
rum, ex prædicationibus, prophetiis, figurisque adim-
pletis clare deducit : subjungit tamen, quod hæc
notitia non obstante, oculos circa ipsum et ejus no-
sitiam hebetes et caligantes habuerint, idque ex
ipsorummet propria malitia. « Sed invidia seipsos
« excecante, noluerunt illud sibi persuadere; nam
« illud sibi si persuasisset, nunquam Dominum
« gloriæ crucifixissent. » Tandem concludit, Chris-
tum illos per hanc parabolam de sui notitia con-
vincere voluisse. « Manifestissime hic Dominus pro-
« bat, Judæorum Principes non per ignorantiam,
« sed per invidiam crucifixisse Filium Dei. »

2. — Beda ait : « Manifestissime probat Dominus,
« non per ignorantiam, sed per invidiam Princi-
« pes Judæorum crucifixisse Filium Dei. » S. An-
selmus ipsos hoc loquendi modo : *Hic est hæres,
habebimus hereditatem ejus*, usos fuisse observat, et
ex eodem loquendi modo, hanc eandem Principum
Sacerdotum notitiam manifestissime arguit, dicens :
« Intellexerunt enim hunc esse, cui dictum est :
« *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem
« tuam et possessionem tuam.* »

Dixerunt intra se.

3. — Cajetanus verba hæc ad Concilium illud

alludere dicit, quod post Lazari a Christo factam
resuscitationem congregarunt, in quo de morte illi
inferenda unanimiter convenerunt; unde idem
Doctor dicit : « Hoc est, colloquendo inter seipsos
« in secreto Concilio, hic est hæres; siquidem dixe-
« runt : *Quid facimus? quia hic homo multa signa
« facit; si dimittimus eum sic, venient Romani, etc.* »
Albertus Magnus ait : « Meditati sunt in cordibus
« suis de filii occasione, et perfoecerunt in operibus
« petratione. »

4. — At vero si ita est, quod *meditati sunt*, quod
idem est, ac si diceretur : *Excogitato consilio* fece-
runt; quis non videt, quousque passionis invidia
vehementia pertingens; quomodo enim, si ipsum
esse Filium Dei et promissum Messiam esse cogno-
verunt, hanc inferre poterunt consequentiam :
Hic est, etc. Ergo occidamus.

Hic est hæres, venite occidamus eum

5. — Salmeron ait : « Imo potius inferre debue-
« runt; ergo vereamur, humiliemur illi, et de ad-
« misso peccato male administrationis veniam
« petamus. » Insuper ipsorum observat cæcilitatem
atque stultitiam, quam in hujus consequentiæ illa-
tione prodiderunt, dicentes : *Habebimus hereditatem
ejus*; scriptum est enim : *Hæres, qui testatorem occi-
disse comprobatur, a jure hereditatis cadit.*

6. — Chrysostomus, *Hom. lxx in Matth.*, hanc
adeo malignam deliberationem impiis hisce gravi-
ter exprobrat, dicens : « Cur obsecro? quid crimi-
« nari magnum, aut parvum potestis? an quia
« narium vos Deus honoravit? quia cum Deus
« sit homo propter nos factus est, et innumera ad
« salutem nostram miracula fecit? an quia peccata
« dimittebat? an quia in regnum vocabat? »

Et habebimus hereditatem ejus.

7. — Rabanus illos fidem christianam et a
Christo promulgatum Evangelium extinguere vo-
luisse existimat : « Fidem, quæ per eum est, extin-
« guere, et suam magis, quæ ex lege est, justitiam
« præferre, ac gentibus imbuedis conabantur in-
« serere. » Idque quadamtenus cum Alberti Magni
in hunc textum expositione concordat; hic enim
dicit, prætedebant, sive aspirabant Judæi ad duas
hereditates : prima erat, ut quiete et pacifice terra
promissionis gaudere possent, quæ majorum suorum
hereditas erat, idque in Concilio illo haud obscure
declararunt, dicentes : *Ne forte veniant Romani, et
tollant, etc., ab illo ergo die cogitaverunt interficere;*
alia vero hereditas, Ecclesia ex gentibus congregata
erat : « Quam sublata Christi prædicatione suis tra-
ditionibus cogitabant addere, ut proselytam, et
« in ea dominari. »

8. — Lucas Brugensis ipsos hunc fere in modum
inter se deliberasse dicit : « Liberum merumque
« erit nobis in populum Israel dominium, nec enim

« sinit iste nos pro nostro arbitrato cum populo « agere, traducens vitia nostra, honorem laedens, « et questum prohibens. »

9. — Nec legi, nec imaginari potest excessus aliquis execrabilior, quam ipsimet Dei Filio mortem machinari. Et ideo merito inquiritur, undenam scelus istud suam traxerit originem? De hoc Patrefamilias, per quem Deus ipse significatur, in hoc Evangelio dicitur: *Peregre profectus est*; et hæc sceleris istius occasio fuit, quando enim memoria divinæ presentie ex hominis mente amittitur, homo semper in profundissimum iniquitatis barathrum præcipitatur. *Psal. x, 5: Non est Deus in conspectu ejus, iniquitate sunt vie illius in omni tempore.* Ita namque filio prodigo accidit, quando insolenter a patris presentia recessit: *Abiit in regionem longinquam*, id est, memoriam domus paternæ amisit.

10. — Observandum quoque hoc loco est, quam sint impii isti in malo decernendo unanimes atque concordēs; dicebant enim omnes: *Venite, occidamus eum*; ubi Albertus Magnus ait: « Ecce consensus in « malum. » *Jer. xi, 19: Venite, mittamus ligum in panem ejus, etc. Venite, sapienter opprimamus eum; Exod., i, 10.* Ministri dixerunt: *Circumcencionus justum. Sap., ii, 12. Convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Psal. ii, 2.*

11. — Ex hoc tam abominando sceleris excessu clare perspicitur, quantam bonorum temporalium aviditas in hominum cordibus tyrannidem exerceat; siquidem propter vineam illius speratam hereditatem, non solum inducti fuerunt ad primos ad se missos servos conviciandos et injuriis afficiendos, verum etiam ad variis mortis generibus mulcandos eos, qui secunda vice ad ipsos fuerant amandati, imo postea manus suas in ipsiusmet filii patrifamilias innocenti sanguine tingere et lavare non dubitarunt, quoti non committuntur ex sola avaritia vitiorum excessus! Optime igitur S. Leo, *Serm. ix de Pass.*, ait: « Nullum est in isto corde justitie « vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitacu- « lum. »

12. — Dionysius Carthusianus quoque rationem reddit motivi illius, quoad machinandam Salvatori mortem fuerunt inducti: « Ad hoc enim moti sunt « occidere eum, ne possessionem terræ et domi- « nium populi perderent. » Deus autem illis indicare voluit, quam sit verum, quod *per quæ quis peccat, per hæc et torquetur*; quia in mortis Christo ab ipsis illatæ pœnam; siquidem in ipso totaque ipsorum progeniem ad finem usque mundi seculorum ultimum superinduxit exterminium.

13. — Porro quot beneficiis populus Judæorum super omnes totius terræ populos a Deo cumulatus fuerit, hujus non solum omnes totius Veteris et Novi Testamenti, sed et singuli eorundem characteres evidens perhibent testimonium; et pro his omnibus, ecce qualiter iidem responderint. Unde

Albertus Magnus ait: « Ecce studium malitie in « cordibus ingratorum. »

14. — Salmeron ait: « Redargouitur hoc verbo « omnes, qui ut ad sibi præfixum finem perveniant « vias obliquas et vitiosas sectantur, dicentes: « Faciamus mala, ut veniant bona, quorum damna- « tio justa est, teste Apostolo et Davide: *A mandatis « tuis intellexi*, sive ut Hebræus habet: *Intelligens « reddo, omnem propterea viam iniquitatis odio « habui*, id est, omnia instrumenta et media illi- « cita. » Porro ad hujus Patrifamilias, id est, Dei hæreditatem aspirare quidem potuissent; at non per modum adeo iniquum.

VERSUS 39.

Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam et occiderunt.

1. — Lucas Brugensis Christum principibus Sacerdotum, cunctisque aliis non solum mortem suam, sed et locum, ubi illum infra tridui spatium interferturi erant, prædixisse notat, dicens: « Quod « imitati majores suos interfecerunt Prophetarum, « ipsi Christum interferturi essent. »

2. — S. Anselmus observat, S. Marcum ordinem verborum illorum immulasse, dum illos filium primo occidisse, postea vero foras ejecisse dicit: « Occiderunt, et ejecerunt extra vineam, quasi vile « cadaver; in quo notat eorum pertinaciam, quia « occiso Domino et resuscitato, a suis finibus eum « excluderunt et quantum in se erat, gentibus ad « suscipiendum dederunt, » cujus proinde condignas postea reportare pœnas; nam ut S. Ireneus, *lib. IV, c. lxx*, ait: « Quoniam Filium Dei « reprobaverunt et ejecerunt eum, cum eum occi- « dissent, extra vineam, juste reprobavit eos Deus, « et extra vineam existentibus gentibus dedit fruc- « tificationem culturæ. »

3. — S. Anselmus hanc occasionem quoque extra vineam adimpletam fuisse ostendit, eo quod eum crucifigendum foras extra Hierosolymam euserint: « Nota iterum, quod extra vineam ejectus « est, quia extra portam passus. »

VERSUS 40.

Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

1. — Salmeron finem explicat, quo Christus motus fuit, ut circa vindictam de homicidiis istis sumendam Scribarum et Sacerdotum consilium exquireret: « Dominus, » inquit, « qui sapientes « comprehendit in astutia sua, interrogavit eos, ut « responso suo se in laqueum injicerent, sequæ « ipsos proprio judicio condemnarent, et de seipsis « vinea spoliandis, et gentibus in colonos assu- « mendis prophetarent. » Unde sequentem optimam

moralitatem elicit, dicens: « Vide, quam simus in « aliorum peccatis judicandis severi et duri iudices, « qui ad propria convivemus et nobis ipsis blandi- « mur. » Etenim si sibi ulla ratione persuadere potuissent, quod ad pronuntiandam sibi metipsis sententiam interrogati fuissent, utique in hanc responsum minime prorupturi fuissent; idem quoque Davidi accidit, dum Nathan in illum per correctionem, sub parabola illius involuero animadvertere moliebantur!

2. — Est quoque hoc loco insignis nonnullorum observatio, quod scilicet, dum hic Patrefamilias beneficiis aliquos afficere satagebat, id ipsum nullo cum aliis præhabito consilio fecerit; si enim plantavit vineam, eique de omni necessaria cultura prospexit, nullo cum aliis habito consilio; similiter tametsi primi ab eo missi servi pessime habiti, nullisque injuriis affecti fuissent, nemine tamen præconulto alios submisit, iisque occisis proprium ad eos filium ablegavit; at vero quando per supplicia in sceleratos homicidas animadversurus erat, primo cum eis, qui deo rei castigandi erant, consilium inivit, dicens: *Quid faciet agricolis illis?* Ad hoc ut realium suam ore proprio, nec non debita sibi pœnam contestarentur, *Hab., iii, 2: Cum iratus fueris, misericordiam recordaberis*; nimirum benefacere volens, a nemine consilium exposit, sicut illud requirit castigaturus.

3. — Lyranus qualis hic adventus fuerit, his verbis declarat: « Venit Dominus ad iudicandum et « vindicandum illud factum, quando ex ejus ordi- « natione venit contra eos exercitus Romanus. »

VERSUS 41.

Avunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit altis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

1. — *Job., ix, 20*, dicitur: *Os meum condemnabit me, pravum me esse comprobabit.* Et *Luc., xix, 22: Ex ore tuo te iudico, serve nequam.* In libro Sapientie, *rv, 20*, pariter legitur: *Veniens in cogitatione peccatorum suorum timidi et traducunt illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Vatablus legit: *Suis sceleribus convincuntur.* *Jer., ii, 19: Arguet te militia tua.* Auctor Imperfecti discursum suum ad iudicium finale transferens, *Hom. xl*, ait: « Putas quomodo « in die iudicii convincendi sint peccatores in suis « peccatis, ita ut nullum colorem excusationis inve- « niant ubi ipsa opera statuantur ante oculos pecca- « torum, dicente Propheta, *Psal. xlix, 21: Arguam « te, et statuum contra faciem tuam peccata tua.* » Apostolus quoque ad Romanos, *ii, 13*, ita scribit: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus.* « Quis « illum defendet, » inquit Auctor Imperfecti, « qui « seipsam accusat? » idem quoque sapienter obser-

vat, Deum nobis conscientia inseruisse remorsum, qui cuncta bona et mala, que fecimus, delegat: « Posuit Deus quemdam spiritum scientiæ boni et « mali in hominibus ut quiesceremus peccatum, « illi in silentio quasi factum nostrum accuset, et « in conscientia tacite ad animam loquitur, dicens: « Malum est hoc, et hoc honum est. »

2. — Theophylactus ipse hisce verbis proprium exterminium prædixisse dicit, quod illis illaturus erat in pœnam mortis Salvatoris Romanorum exercitus: « Cum venerit, hoc est, respexerit ad iniqui- « tatem, quam fecerunt Judæi, tunc malos male « perdet, misso Romanorum exercitu. » S. Paschasius hunc textum, *Psal. lxxix, 13: Ut quid destruxisti mœnerium ejus, vel septem et vindemiarum eam omnes, qui prætergrediantur viam, adducens dicit: « Quam « sane vineam, quia penitere noluit, exterminavit « eam aper de sylva, et singularis ferus depustus « est eum.* id est, exercitus Romanorum sub Tito et « Vespasiano, qui missi sunt ad perdendos malos et « pessimos vineæ colonos, qui non solum vineam « sibi commissam excolere, ut fructum forent deum, « noluerunt, verum etiam seipsos de propagine « veræ vitis absciderunt. »

3. — Salmeron S. Lucam dicere observat, agricolas hosce respondisse: *Absti, idque vel, inquit, quia hi alii et diversi a primis erant: « Aut, quod « est verisimilius, quia quod verum erat, prædi- « centes in genere, sentientes in seipsos tendere, « cooperunt retrahere. »*

4. — Paulus de Palatio per hunc Patrefamilias Deum intelligendum esse dicens, sequens movet dubium: « Quid est, male perdet? num facit Deus « aliquid male? num qui bene omnia fecit, hos « solos male castigat? imo profecto non male, sed « bene perdet. » Tandem vero respondet, receptum apud nos loquendi usum esse, quod dum aliquis rigidus panis fuit, de eo dicitur: male est tractatus. « Sed rem profundius dicamus: cum Deus « hominem castigat ad ejus emendationem, bene « eum castigat; sed cum eum ad condemnationem « castigat, male eum perdit. » Pro cuius majori elucidatione, sequentem valde perspicam et familiarem adducit similitudinem; qui enim ludendo in principio perdit, ad hoc ut in line copiosius lucretur, ille utique bene perdidisse aut amississe lusum dici solet; solent enim astuti valdeque periti luseros data opera in principio lusus fortunam dissimulando efficere ut collusores vincant, ad hoc ut in tanto ampliore summam prosituentiam, sive lusu lucrandam dolose provocent; quodsi autem sine spe majoris lucri perdidit, utique male perdidisse dicitur; ita Deus cum S. Petro et S. Paulo luisse videtur, quando eos turpiter cadere permisit, nullo tamen alio fine, quam ut eos alius erigeret, et cum majori gloria et spirituali lucro resurgere faceret: « Id sane erat bene eos perdere, quos postea melius

« recuperaret; sed cum Judam et Judæos amisit, « nolens postea eos lucrari, id fuit male perdere. « Psaltes, Ps. XLIII, 13, inquit: *Vendidisti populum « tuum sine pretio.* »

Et vineam suam locabit aliis agricolis.

5. — Lyranus hæc verba ita exponit: « Quia « Christus Ecclesiam suam regendam tradidit Apo- « stolis et aliis discipulis, qui reddiderunt fructum, « quia eis credidit multitudo gentium; » cum enim hanc vineam synagogæ vineam antea Scribæ, Sacerdotes, Pontifices et Hebraismi seniores excoluissent, in eorum postea locum Apostoli successerunt, vel etiam ut Hieronymus exponit: « Locata est nobis « vinea. »

Qui reddant ei fructum.

6. — Idem S. Hieronymus ait: « Locata ea con- « ditione, ut reddamus Domino fructum tempori- « bus suis et sciamus unoquoque tempore quid « oporteat nos vel loqui, vel facere. » Et hæc unica causa fuit, inquit Paulus de Palatio, cur Christiani, qui in terra sancta Palestine erant, otiosi existen- « tes, speratumque minime reddentes fructum, vineam hanc turpiter amiserint: « Translata enim est a « Palestina in Græciam, Egyptum, Africam, quas « nunc vineas desertas videmus, forsitan colonorum « culpa; fexit Deus, ne etiam transferatur a nobis. »

7. — Hugo Cardinalis quisnam et qualis hic fructus sit, distinctius specificat dicens: « Fructum « scilicet, cordis, oris et operis: cordis, fructus, « contritio, divinæ legis meditatio, beneficiorum « Dei recordatio, mortis memoratio, proximi com- « passio; fructus oris, confessio, predicatio, gratia- « rum actio, consilium; fructus operis, penitentia, « elemosyna, obedientia, obsequiorum diligentia, « difficultium tolerantia. »

8. — Paulus de Palatio causam subtiliter inquiri- « tur hi fructus non a vitibus, sed de manu vinitorum « seu agricolarum directe exigantur? « Fructum ali- « quando exigit a vitibus singulis, » inquit, « sed « fructus plurimos exigit a colonis; » et ratio est, quia Superiores ad dandum subditis bonum exem- « plum obligantur, qui demum conformiter ad illud « vite sue actiones instituunt: « Qua ergo poena « dignus erit colonus, qui multorum in vile fruc- « tum causa esse debuerat, qui tamen e contra « causa est vel exigni, vel nullius, vel quod pejus « est, venenati fructus. »

Temporis suis.

9. — Ecce tibi insignem hujus Patrisfamilias discretionem, qui fructum pro ratione temporis a vitibus prestolatur; eodem prorsus modo Deus a nobis christianarum virtutum opera non exigit, nisi conformiter ad uniuscujusque ætatem, statum, conditionem et professionem. Unde Psalmista dice-

bat, Psal. xxiv, 12: *Quis est homo, qui tinet Domi- « num? Legem statuit ei in via, quam elegit; fructus « igitur unicuique vocationi proportionatus profere- « ndus est; etenim religiosus certo diei tempore ora- « tioni, aliisque spiritualibus exercitiis vacare debet, « id quod Princeps aliquis, Artifex, Judex, Legista, « Paterfamilias, aut vir agricola facere neutiquam « potest, etc.*

VERSUS 42.

Dicit illis Jesus: Nunquam legistis in Scripturis: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic « factus est in caput anguli? A Domino factum est « istud, et est mirabile in oculis nostris.

Lapidem quem reprobaverunt, etc.

1. — Lucas Brugenensis Christum per hanc meta- « phoram prædicare, seu ut melius dicam, prophe- « tiam Davidis ipsum declarare notat, scilicet se qui- « dem ab Hebraismo tanquam indignum, qui populo huic annumeretur, rejiciendum esse, tandem vero totius populi Dei, id est, Ecclesie suæ Caput, Regem et Principem esse futurum. Idem quoque ver- « bum anguli declarat: « Hoc amplius significare « videtur voce anguli, Christum fore caput Ecclesie « ædificandæ ex duobus populis, Judæis et Gentili- « bus. Angularis fundamentum lapis Scripturis mis- « sus est; qui parietum compage in utroque neci- « tur, » canit in hymno quodam Ecclesia. Et Ephes., iii, 14: *Qui facit utraque unum.*

2. — Dionysius Carthusianus huic persimilem ex Daniele, ii, 34, locum affert, in quo dicitur: *Lapis « abscessus de monte sine manibus, factus est mons ma- « gnus et implevit universam terram; cum enim Chris- « tus ab universo Hebraismo ludibrio haberetur, præ- « dicatione et doctrina ejus a gentibus acceptata, ad « sui adorationem universum mundum pertraxit.*

3. — S. Anselmus ita de Hebræis scribit: « Factis « commentariis pessimis auditoribus suis conaban- « tur eripere fidem Christi, qui quasi lapis electus « debuit poni in edificio Dei, jungens in se duos « parietes, id est, duos populos. Hic est enim lapis « ille, de quo Isaias, xxvii, 16: *Immittam in fundam- « entis Sion lapidem electum, pretiosum, angularem « et qui crediderit in eum, non confundetur.* »

4. — Auctor Imperfecti, ædificii et lapidis allu- « sionem prosequens observat, quod sicut architectus lapides meliores et venustiores seligit, ut illos in fronte fabricæ colloquet, alios vero indifferenter, ubi primum eis locus occurrerit, jacere solet: « Sic « Ecclesia meliores Christianos eligit et ponit in « facie Ecclesie, id est, alios fecit Sacerdotes, alios « Diaconos, cæterosque ministros Ecclesie. Sicut « lapides, qui sunt intus in edificatione, nemo « aspicit; sed eos qui foris sunt, considerant omnes, « sic secularium hominum vitia, neque sic consi- « derantur, neque sic nocent Ecclesie. »

A Domino factum est istud, etc.

5. — Salmeron, quoad sensum litteralem, verba illa exponit, dicens: « Non errore artificum, aut « fortuito, vel hominum consilio, sed Dei volun- « tate, hominibus multis modis repugnantibus; sed « frustra, et est mirabile in oculis nostris, quod sci- « licet duos condat populos in unum. »

VERSUS 43.

Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, « et dabitur genti facienti fructus ejus.

Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei.

1. — Beda, Origenes et S. Thomas, in *Matth.*, per hoc regnum Dei, sacram Scripturam interpretantur. Et primus quidem ait: « Sacras dixit Scrip- « turas ablatas a Judæis et nobis traditas, ut fructus « earum faciamus. » Secundus vero, *tract. xix in Matth.*, dicit: « Regnum Dei divinas Scripturas, « quas tradidit Dominus primo quidem populo illi « priori, cui credita sunt eloquia Dei. » S. Thomas vero modum explicat, quo hoc regnum, id est, Scriptura sacra Hebræis ablata fuit: « Quia ammi- « tte intellectum sacre Scripturæ. » *Joan.*, xi, 10: *Excæcavit oculos eorum, ut non videant oculos, non intelligant corde.*

2. — Cajetanus per regnum istud, possessionem intelligit multorum honorum temporalium, nec non dominium, quod in synagogam et universum populum obtinebant, quod ab eis in bello, quod Titus et Vespasianus contra ipsos moverunt, ablatum fuit: « Impletum est hoc ad litteram, excidio Hierosoly- « morum subsecuto per Romanos, quantum cultum « divinum, etc. »

3. — S. Thomas quoque de superioritate in Ecclesiam intelligit, siquidem in summum Hebraismi Pontificatum Petrus successit: « Prelatio- « nem super Ecclesiam Fidelium, quia translata est « gloria eorum. »

4. — Lucas Brugenensis de gratia et protectione divina exponit: « Subtrahente ipsis pro ipsorum « meritis gratiam suam, sine qua in Deum et in « Christum credere, sperare, diligere et Deo gratus « esse nemo potest. » Unde Jansenius occasionem sumit nos monendi, ut Deum timeamus, ejusque divinis beneficiis pro debitam gratitudinem corres- « pondemus et cooperemur: « Illic et nos monemur, « tum in genere simul omnes, tum quisque sigilla- « tim, ut oblatam et presentem nobis Dei gratiam « non negligamus, nec spernemos. » Simulque nos ad fructum in hac vinea reddendum invitat, ne etiam nobis Judæismi excidium superveniat, quemadmodum in progressu sæculorum, multis Christianorum populis in Africa, Asia et Græcia accidisse novimus: « Idem et nobis ne usu veniat, verendum « est, si, ut perique in hoc occidentis angulo sunt

« affecti, pergant homines contempra Ecclesiastica « doctrina, quam nobis tradidit antiquitas vene- « randa, audire potius magistrus prurientes auri- « bus et loquentes placentia, ac pastores Ecclesie, « quibus vinea Domini et regni Dei propagatio « commissa est, suum tantum ex vinea Domini « commodum, suum tantum in regno Dei honorem « querant. »

5. — Salmeron ad hoc se refert, quod Salvator non dixerit: *Malos male perdet*, quemadmodum ipsipsum adversus semetipsos Hebræi prophelave- « runt, sed potius suaviter eis dixerit: *Auferetur a « vobis regnum, etc.* Quia Deus mitior est in sententia, quam simus nos ipsi in peccatis aliorum plectendis. Imo hoc verum esse ex eo patet, quod hanc commi- « natam poenam, per quadraginta duorum annorum decursum, distulerit, ut ad veram eos penitentiam expectaret.

6. — Considerari etiam hoc loco meretur, quod Christus in hujus parabole principio, nomine et metaphora utatur vineæ, postea vero in progressu illius, eidem possessioni regni titulum attribuit, ut per hoc nobis insinuet, quod labores, quos in hujus vineæ, id est, Ecclesie, vel etiam animæ culturam impendimus, tandem in mera transformatur diade- « mata, coronas, et regna, et quidem regna eterna, siquidem *servire Deo, regnare est.*

7. — Notandum quoque est, quod, tametsi hic populus olim semper per tot sæcula, unicus fuerit favarum gratiarumque divinarum scopus, tandem nihilominus eundem populum in extremum exter- « minium præcipitem egerit. Id quod, ut Salmeron ait, docet Dei favores et veteris amicitie testimonia, nihil prodesse ingratis, quin regno priventur et in alios dona eorum conferantur. S. Thomas de Villa- « nova, *Serm. in hac fer.*, postquam prius immensa, a Deo Israeli collata beneficia, postea vero rigidas ejusdem poenas a Deo immisas considerasset, tan- dem exclamat: « Quis a iudiciis tuis non formida- « bit? *Eleoans allisisti me.* » Verumtamen postea subjungit, quod si populi illius adversus Deum benefactorem suum ingratitude ingens et malitia consideretur: « Vere non miremur, quia eum « repulisti, sed magis quod tam longo tempore « tantam eorum nequitiam sustinisti. » Porro hæc omnia Moyses prævidisse videtur, quando in Can- « tico suo, morti vicinus existens hunc in modum illis graviter exprobravit, *Deut.*, xxxii, 6: *Hæcine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Gens prava, atque perversa, gens absque consilio et absque pruden- « tia: Uva eorum uva fellis et botri amarissimi; fel « draconum vivam eorum et venenum aspidum insana- « bile.*

Et dabitur genti facienti fructus.

8. — Per hanc prædicationem, inquit Doctor Angelicus, in *Matth.*, vocatio gentium ad fidem

perspicue probatur, juxta prophetium illud Isaiae, *lx, 4*, oraculum: *Ecce testem populi dedi eum, ducem ac proceptorem gentibus; ecce gentem, cum nescias, vocabis et gentes quae te non cognoverunt, ad te current. S. Paschasius per regnum Dei, Ecclesiam et Christum caput illius intelligens, Hebraeis utrumque merito ablatum esse scribit, eo quod se utriusque boni participio indignissimos esse manifeste probant: « Indignos se judicaverunt aeternae vitae, nolentes Christum recipere, auferunt ab eis Christum, auferunt et Ecclesia, auferuntur et omnia sacramenta salutis et datur his, qui credunt in Christum. »*

9. — S. Thomas de Villanova, *cap. II* Apostoli ad Romanos ponderat, ubi Apostolus nos monet, ne Judaeorum reprobrationi insultemus, sed potius caput nostrum submittentem, nos humilitemus; tandemque discursum suum ad populum Christianum, in Hebraeorum locum substitutum, convertens, dicit, *xi, 17*: *Si ergo tu eum oleaster esses, insertus in bonum olivam et pinguedinis olivae consors factus es, noli altum sapere, sed time. Pergit deinde sanctus hic Archiprasul ascendere, quo Gentilismus nullam habeat causam timendi, ne forte a fide excludatur, bene autem idipsum hic et alter ille populus jure timere possit: « Non timemus repulsam, sed translationem; quis enim scit, si propter delicta populi, Deus Ecclesiam suam et fidem transferat ad aliam gentem ista relicta? Auget autem timorem nostrum haec nova alterius orbis apud Indos revelatio, quae gens barbara cum fidem amplectari jam ceperit, merito est timendum, ne propter nostram malitiam transeat ad illos Deus nobis expulsus, sic enim ab Oriente jam diu siccat et fides et ad occidentem fluere coepit, ut limeri possit, ne etiam ab Occidente transeat Oceanum. »*

10. — Valde considerabile est pondus illud verborum, quibuscumque Christus nobis regnum Dei nobis dandum, nosque in filios Ecclesiae adoptandos, simulque regni caelorum investitura exornandos esse praedixit: *Dabitur facienti fructus*; siquidem, *Fides sine operibus mortua est*. Et quidem quosnam illos fuisse putas, qui in alia illa vineae parabola ad mercedem accipiendam fuere invitati? *Voca operarios et redde illis mercedem*. Non dixit etiam: « *Faciens fructum*, in numero singulari, sed *fructus* in plurali: *Time non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis*. » Insuper advertendum, quod dixerit: *Fructus ejus*, quia multa opera quoad exteriorem apparentiam bona esse videntur et sancta et tamen non sunt Dei, id est, non cum intentionis rectitudine, neque in statu gratiae facta fuerunt, quin potius ex hypocrisis quadam, aut propter respectum et interesse humanae personae a nobis fiunt.

11. — Salmeron egregie nobis, quinam et quales fructus illi sint, quos Deus ab illis, qui

vineam hanc excolunt, exposcit: « *Petit Christus in pauperibus fructum misericordiae et elemosynae*; nam; in Eucharistia fructum laetiae et reverentiae; in adversitate et infirmitate fructum patientiae; in superioribus, quidquam praecipitibus aut praedicantibus exigit fructum obedientiae; ab eo, qui injuriam intulit, postulat reconciliationem et satisfactionem; ab eo qui injuriam sustinuit, remissionem ejus et veniam. In persecutione exigit fructum constantiae; in sacerdotibus corruptis penitentiam prioris vitae emendationem; ab Episcopis et rectoribus Ecclesiasticis fructum praedicationis verbi Dei, praesentiam et assistentiam ad oves sibi creditas et vitae sanctioris conversationem, a laicis principibus poscit sibi reddi fructum pacis, justitiae, annonae abundantiam et etiam audientiam. »

12. — Origenes, ut diximus, per mysticum hoc Dei regnum sacram Scripturam intelligens, hanc nobis cum hac expressa conditione datam esse dicit, ut faciamus fructum: « *Nemini enim datur verbum Dei, nisi facienti fructum de eo, et nemini, in quo peccatum regnat, datur regnum Dei*. »

13. — Ex eisdem quoque verbis sequens potest moralitas deduci: *Nemo accipiat coronam tuam*. Quis, etenim populi illius, tot a Deo beneficiis cumulatis reprobrationem, in illiusque locum, gentilissimum idololatriae totaliter deditum, veroque Deo adeo rebellem substituendam esse, unquam credere potuisset? Et tamen vide, ubi nunc regnum et corona Israelis quiescat.

VERSUS 44.

Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum.

1. — Salmeron priusquam haec verba exponat, quamdam Aristotelis, *lib. IV Meteorolog.*, doctrinam praemittit, inter *Frangi et conteri* hanc assignantis differentiam: « *Frangi* dicitur, quae in magnas partes dividuntur, conteruntur vero solida, quae ad minimas quasque particulas reducantur. » Qua distinctione supposita, observat, Christum ad illam petrae metaphoram, a Propheta superius adductam, alludere, siquidem per petram illam in Christum intelligitur aut figuratur, sicut enim is, qui supra petram cadit, minus frangitur, quam is, super quem petra cadit, siquidem haec gravis plumbi instar deditit et quantum fieri potest, comminuit: « *Ita fidelis peccans per incontinentiam, non manet quidem in Christo, sed per fidem surgere potest et reparari, ut vas testium fructum; et at qui fidem non habent, et in temperantiam delinquant, et superbe in Christum insurgunt, Christus cadit super eos, neque habent ullum principium, quo contriti in partes minutas, repa-*

rari valeant. » In cujus probationem illum Isaiae, *xii, 30*, textum adducit: *Pro eo, quod reproba sit, etc.* Tandem ad tractandum in specie de Judaeis, descendens, pergit dicere, quod, sicut lapis, qui super aliquem decidit, non frangitur, bene tamen is super quem cadit, confringitur et sauciatur: « *Ita Judaei contriti sunt non solum, quod Romanis militibus in direptionem omnium honorum, et templi, et civilatis, et interfectionem sunt traditi, sed quia in aeternum duplici contritione, nempe in corpore et anima, in praesenti saeculo et in futuro contriti fuerint.* » Praeterea ut Theophylactus advertit, *contriti sunt ab ipso*, hoc est, dis-

persi sunt ubique terrarum. »
2. — S. Hieronymus a S. Thoma super Matthaem citatus, in ea est opinio, quod illi super petram cadant, qui Christum offendunt, licet alias in eum credant: « *Ille cadit super lapidem Christum, quando fidem tenet de eo, sed cadit per peccatum, quod contra eum facit.* »

3. — S. Anselmus distinguit et explicat quinam illi sint, qui supra petram cadunt et quinam illi, super quos petra corruit: « *Qui peccat et tamen in ipsum credit, cadit super lapidem et confringitur, sed non omnino conteritur, reservatur enim ad salutem per penitentiam.* » Non vero idem accidit illis, super quos petra cadit, illi nimirum, qui in Christum non credunt: « *Hoc est, qui Christum peccatis negaverit, venit illi desuper in iudicio cum poena perditionis et interim conteret omnia bona, quia nullum bonum sine fide.* » Cui consonat, quod Lyranus his verbis scribit: « *Ille cadit super lapidem, qui credens peccat per lubricitatem carnis, seu alios peccatis; et ille confringetur, sed non comminuitur, quia non peccat tam graviter, sicut ille, qui peccat peccato infidelitatis.* »

4. — Auctor Imperfecti, *Hom. xl*, ex illis verbis occasionem sumit considerandi damnum, quod is, qui Christum offendit et injuria afficit, sibi tempe ipsi creat, cum tamen nullum inde in Christum resultat praedictum: « *Qui sunt,* » inquit, « *qui super lapidem cadunt? Qui credentes in Christum stant super ipsum; quasi supra proprium fundamentum; si quis ex istis peccaverit, non eum Christus corrumpt, sed ipse se corrumpt, offendens in Christum et ideo Christianus peccans non tantum perit, quantum potest perdere Christum, sed quantum seipsum secundum opera sua perdidit.* » S. Paschasius ostendit, quanta sit mystice hujus petrae magnitudo, excellentia atque soliditas: « *Ideo,* » inquit, « *quicumque super eum cadit et peccatit eum, ipse se collidit et confringit. Lapidem vero Christum nemo laedit, se quidem corrumpt, quia super lapidem peccator cadit.* »

5. — Idem quoque Sanctus nos monet: « *Perpendat,* » inquit, « *iniquisquisque quantum et unde cadat, non omnis casus aequaliter ruentem con-*

fringit. » Quod documentum utique ab Auctore Imperfecti desumpsit, qui Christianum, duplicem ob causam graviter in peccatum cadere his verbis observat: « *Aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis; ut puta, si sit clericus, aut continens vidua, aut monachus, aut virgo, id est, qui se Deo tradiderit. Propter magnitudinem autem peccati, ut puta si quis homicidium fecerit, aut adulterium, aut aliud de gravibus peccatis, ille talis, etsi de humili loco cadat, id est, etsi laicus sit, aut secularis, fortiter perit propter pondus peccati. De alto vero cadit, ut puta clericus, ceteraque personae spirituales.* »

6. — S. Paschasius quoque haec verba de illis exponit, qui pro perhibendo fidei Christi testimonio morti se genere exponunt: « *Quidam,* » inquit, « *volunt eos, qui super lapidem ceciderint, intelligi, qui propter Christum corpora sua in morte tradiderunt, id est, super ipsum occubuerunt et confringantur caro et ossa ipsorum.* »

7. — S. Thomas, in *Matth.*, ait: « *Cadit super lapidem, quando proprio arbitrio peccat, sed tunc lapis super eum cadit, quando Christus punit eum et tunc totum comminuit. Psal. xvii, 43: Comminuum eos, sicut pulverem ante faciem venti.* »

VERSUS 45.

Et cum audissent Principes sacerdotum et Pharisaei parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.

1. — Lucas Brugensis ait: « *Manifeste intellexerunt, quod involveris parabolarum, malitiam eorum depinxisset et quae ipsos maneret ultio; et sciebant ipsi qui essent, quomodo affecti et quid molirentur;* » jam enim de facto concilium convocaverant, in quo de nece ei inferenda decretum condiderant; quam etiam intra triduum ei intulerunt: « *Conscientia itaque ipsorum interpret erat parabolarum Jesu.* »

VERSUS 46.

Et querentes eum tenere, timerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

1. — Albertus Magnus ait: « *Ecce incorrigibilis litas perversorum post tot miracula salutis. Esai., iii, 7: Filii Israel nolunt audire te, qui nolunt audire me.* »

2. — Salmeron in sensu morali ait: « *Apprehenditur Christus, quoties resistitur inspirationi, et ejicitur quando diligitur creatura plusquam creator, et occiditur tandem quando peccamus.* »

3. — S. Hieronymus harum turbarum instabilitatem admiratus, dicit: « *Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens, atque*

« in morem fluctuum diversorumque ventorum huc
« illicque trahitur. Quem nunc quasi Prophetam
« venerantur et colunt, postea contra eum clamant:
« *Crucifige, crucifige;* » id quod eadem septimana
« accidit et tamen uti Albertus Magnus observat: « Haec
« turbae erant, quae cum cum victricibus laudibus
« et signis receperunt. »

4. — At vero Lucas Bruggensis ait: « Turba me-
« lius de Jesu sentit, quam magnates, quamquam
« debuerat amplius profecisse; » neque enim in
« hac aestimatione, veneratione et defensione Christi,
« persecutionibus infestati, persistentiam aut perse-
« verantiam exhibuit, dum se a sacerdotibus et Prin-
« cipibus adeo facilliter seduci permisit.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM LUCE, CAP. XI, VERS. 14

14. Erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum; et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.

15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16. Et alii tentantes, signum de caelo quærebant ab eo.

17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

18. Si autem et Satanus in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis, in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.

20. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

22. Si autem fortior eo superveniens, vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

23. Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam.

26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

27. Factum est autem, cum hæc diceret: Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.

28. At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

VERSUS 14.

Erat ejiciens dæmonium et illud erat mutum; et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus et admiratae sunt turbae.

Erat ejiciens dæmonium.

1. — Observat Toletus, in *Luc.*, Phariseos eo præcipue tempore suas adversus Salvatorem evomisse calumnias, quo obsessum illum liberabat: « Modus hic lectionis per verbum imperfectum, nempe: *Erat ejiciens*, notat, Phariseos protulisse verba sequentia contra Christum tunc, « quando dæmonium hoc ejecit. »

2. — Valde considerabile est verbum illud, *Erat*, quod tempus imperfectum et dilationem denotat, non quod aliquam Christi in pellendo dæmone impotentiam arguat, sed resistantiam Christo a dæmone factam indicat; utpote qui in homine illo velut in suo centro demorabatur; dolebat proinde prædam hanc, quam sibi compararat, in manu Salvatoris inimici sui venturam esse. Porro dæmon, id est, peccatum facilliter in animam hominis ingreditur, siquidem ad dandum illi consensum nostrum non solum faciles, sed et solliciti sumus; at vero quam difficile est et arduum, animum e dæmonis potestate eripere et liberare? quanta cum repugnantia offensam Deo factam detestamur? adeo

nimirum idipsum difficile et arduum opus est, ut certo quodam modo dicere possimus, Deum ipsum in depellendo ab anima dæmone defatigari; sic quando se ad Samaritanam convertendam acciuit: *Fugitatus ex itinere sedebat*. In resuscitatione Lazari quatridentium mortui, qui peccatoris typos erat, *infremat spiritu et turbavit semetipsum*.

3. — Nonnulli interpretes dicunt, hanc particulam: *Erat ejiciens*, quandam innuere ambiguitatem, sive animi suspensionem et irresolutionem; hujusque ambiguitatis causam in eo consistere, quia quando de usu congruo linguæ, mutus huic restituendo agebatur, deliberatione opus esse videri poterat, quando lingua ut plurimum tot tantorumque malorum causa existit. Unde quando Salvator noster in discipulorum Joannis Baptistæ præsentia, plurima erat patrans miracula, nullum tamen quoad mutos patrare voluit prodigium, expeditum illis linguæ usum restituendo, *Math.*, xi, 5: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*; et ideo verisimile est, quod priusquam Salvator huic mutus promptum loquendi usum restituit, eidem mutus ab æterno Patre suo gratiam, linguam bene gubernandi impetraverit; verissimum namque est quod postquam linguæ usus ei restitutus fuit, is lingua sua tam sancto deinceps usus fuerit, ut ex suo loquendi modo omnes vehementer edificaret: *Locutus est mutus et admiratae sunt turbae*.

4. — Ingeniose Didacus Stella observat, quod S. Lucas dicat: « *Erat ejiciens*, nam quamvis virtus divina in instanti operetur, voluit tamen paulatim ejicere, ut ostendat, vitia, qui mali mores sunt, paulatim esse expellenda, non autem omnia simul. »

Dæmonium.

5. — Hugo Cardinalis ait: « Dæmonium est peccatum, primo a dæmone inventum. » Primus etenim, qui peccatum in caelo advenit, Lucifer fuit; primus quoque, qui illud in terram detulit, idem fuit, astuti cujusdam serpentis similitudine obiectus. Doceatur in hoc facto, inquit Salmeron, Prælati Ecclesiastici, ut ad Christi imitationem a dæmone obsessos liberare satagent; quinam vero hi obsessi sint, idem Doctor his verbis declarat: « Qui peccato aliquo ab illo possidentur; quod opus multo majus est et facilius, quam pellere dæmones de corporibus. »

Et illud erat mutum.

6. — « Id est, » inquit Glossa Interlinearis, « mutos faciens, » Lyranus autem id in sensu spirituali tunc accidere dicit, « quando gratiam habens, prædicandi, vel Ecclesiam officandi, cessat ab istis instigante diabolo. »

7. — Theophylactus mutum huic humane naturæ figuram fuisse scribit: « Que a dæmonibus detenta, audire non potest sermonem Dei, mul- toque minus eloqui valet. »

8. — S. Thomas per hunc mutum, gentilissimum vel peccatorem intelligit, dum ait: « Qui dæmonium habet, in quantum servus, quia qui facit peccatum, servus est peccati mutus a confessione fidei. » *Psal.* xxxiii, 3: *Obmutui et siti a bonis*. Hugo Cardinalis similiter per dæmonem peccatum intelligens ait: Dæmon mutus est, « id est, « faciens mutum a confessione fidei et peccati; hoc dæmonium ejicit Jesus, gratiam infundendo, que illuminat, et ora tacentia ad confessionem relaxat » et sic dæmonem effugat. »

9. — Porro Salvator noster Judam diabolum appellavit; dicens: *Unus ex vobis diabobus est*, quia anima in statu peccati mortalis constituta, dæmonis est mancipium; ac proinde dæmon in tali anima, quod fieri potest, hoc satagit efflicere, ut illum mutam efficiat, id est, ut peccata sua confiteri absolute renuat, ne ab hæc ejus tyrannide libera evadat. Unde Didacus Stella ait: « Efficit mutum hominem dæmon, ut nequeat Sacerdoti confiteri sua peccata. *Adhærere*, inquit, apud Ezechielem, in, 26, *faciam linguam tuam palato tuo et eris mutus*; in palato residet gustus, linguam adhærere palato, est voluptatem capere et in peccatis gaudere. » Spiritus Sanctus diabolum nobis sub specie lupi in Scriptura sacra ob oculos ponit: *Lupus rapit et dispergit oves*. S. Augustinus autem inter alias lupi proprietates, hæc quoque specialiter tangit, presentis proposito nostro valde opportunam, dum *tr. xlvii in Joan.*, ait: « Ecce lupus guttur ovis apprehendit; diabolus fidei adulterium persuasit. » S. Ambrosius pariter dicit: « Lupi ovium guttur invadunt, ut cito strangulent; dæmon quoque quia novit quod peccator faucibus, lingua et voce mediantibus sese ab ejus servitute eximere, æternamque salutem sibi comparare possit, fauces illius constringit, quia *Confessio fit ad salutem*. Salmeron adductam a S. Augustino lupi similitudinem, nimirum quod ovium guttur constringit, ne vociferari aut belare valeant, adducens, ita scribit: « Ne clamet et clamore suo canes excitet; ita dæmon hoc molitur et in hoc insidias struit, ut peccator nec per orationem ad Deum fasam, nec per detectionem delicti apud Sacerdotem, neque per petitionem consilii, criminum sua ad salutem consequendam declaret. »

10. — S. Bonaventura in vita S. Francisci religiosum quemdam fuisse refert, qui apud vulgus non minus quam inter fratres suos in opinione sanctitatis, magnaque in veneratione habebatur, ejus famam Seraphicus Pater inaudiens, ad monasterium, in quo morabatur, accessit; cumque omnes religiosos virtutibus et perfectioni viri illius